



**L**vdouicus secundus meritò quoq; inter illu-  
 stres & strenuos Germaniæ uiros annumera-  
 ri debet. Erat autem Caroli magni pronepos, Lu-  
 douici pīj nepos, & Lotharij Imperatoris ex Her-  
 mingarde uxore filius, cui pater propter eximias  
 eius uirtutes regnum Italię & Imperium uiuus as-  
 signauit. Id autem tanta prudentia & dexteritate  
 gubernauit, ut pleriq; iuuenis & stupori & admi-  
 mirationi esset. Erat enim princeps perhumanus,  
 pius, ac iustus, atq; candida simplicitate præditus,  
 præterea pupillorum & orphanorum tutor singu-  
 laris. In literis uero diuinis & humanis omnes ali-  
 os principes eo tempore facile superabat, unde et  
 consilio promptissimus. Postquam itaq; à patre, tanquam trium filiorum na-  
 tu maximus, consors Imperij factus esset, à Sergio pontifice inunctus & co-  
 ronatus fuit, comitante eum Drogone cognato, & Metensium Episcopo.  
 Cum autem adolescens non ea religione qua proauus per Italiam ac pontifi-  
 cis ditionem iter faceret, uerū armatus longo agmine incederet, atque fe-  
 roces milites pro more passim in urbibus atq; agris omnia deprædarēt, à Ser-  
 gio monetur, ut eam ferociam deponeret, atq; pacatus maiorum consuetudi-  
 ne Romam atq; templum Dei ingrediatur, ne cœlo ensem dependentem in  
 se prouocet, libentissimè obediuit. Hac ratione primò rex Italiar, deinde Au-  
 gustus proclamatus, octavo die ab urbe discessit.